





Faint, illegible handwriting at the top of the page, possibly a header or title.

Second section of faint, illegible handwriting.

Third section of faint, illegible handwriting.

Fourth section of faint, illegible handwriting.



*[Faint, illegible handwritten text on aged paper]*

1.  
2.  
3.  
4.  
/.  
/.  
2



1769.

1. Beckhaus, Franc. Wilhelmus : De aere alieno hereditario
2. Fockius, Albertus Philippus : Meditatio super diversis honorum generibus angelis haberi solitis
3. <sup>2</sup> Fockius, Alb. Phil. : Tus bonae fidei promissionis circa fructus e re aliena perceptos : 2 Exempl. 1769 i 1775
4. Knappel, Carolus Antonius : De contentione juris civitatis et canonici. Prolusio I, qua praedictiones per semestre hibernum . . . indicit 1770.

1. Knappel, Carolus Antonius : De contentione juris civitatis et canonici. Prolusio II, qua praedictiones per semestre aestivum . . . indicit
2. Paetzel, Carolus Ferdinandus : De differentio juris communis et. Primum - Guelpho hoc hystoria

1771.

1. Souchart, Fr. Tristoricus: De regula juris, quod  
in casu dubio omnia bona mariti esse prae-  
sumenda sint esse attribuenda.

2<sup>nd</sup> Friccius, Albertus Philippus: De iuribus illius,  
qui alteri ad remendam credit.

3. Friccius, Albertus Philippus: De testamento nullo  
insequente hereditatem ab intestato adprobatione nunquam  
in formam testamenti validi reconvalescente.

1772.

Fewerlein, Paulus Facetus: De privilegio votis sponsae  
competente disserit simulque . . . Franni Conrad Fewer-  
lein . . . patri suo . . . susceptum . . . munus-  
procancelarii . . . gratulatur

1774.

1. Friccius, Albertus Philippus: De libello actionis ab  
laesione inveniuntur instituta non disjunctive

consequendo ad l. 2 C. de rescind. vend.

2. Haebelin, Franciscus Dominicus: Theses inaugurales  
de j. statu, j. nobilitatis ac privilegiis S. R. I. Urb. ac  
immed. nobilitatis inde a temporibus Rudolphi I  
Rom. Regis usque ad Maximilianum I Imp.
3. Paclike, Carolus Ludovicus: De jure venditionis ratione  
residui pretii motu in emptoris bonis concursu
4. Piesser, Gaud. Henricus: Observationes de civi-  
tatis Imperialibus speciebus Ulmae sub Rudol-  
pho I. Rom. Rege.





15

1769, 14

511

DE

CONTENTIONE  
IVRIS CIVILIS ET CANONICI

PROLVSIO I.

QVA


PRAELECTIONES  
PER SEMESTRE HIBERNVM

MDCCLXIX.

HABENDAS

INDICIT


D. CAROLVS ANTONIVS KEVFFEL



HELMSTADII

EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO

VIDVAE SCHNORRIAE



Ed.  
P

147



UNIVERSITÄT  
LEIPZIG

VERLEIHSTELLE  
HIERZU  
HABEN SIE

BEI DER  
BIBLIOTHEK

BEI DER  
UNIVERSITÄT

LEIPZIG

BEI DER  
BIBLIOTHEK





DE  
CONTENTIONE  
IVRIS CIVILIS ET CANONICI  
PROLVSIO I.

---

§. I.

*Autonomia a Constantino M. ecclesiae concessa.*



GRAUEM multorum reprehensionem incurrit Constantinus M. quod in sermone conuiuiali episcopis dixisse legitur apud EUSEB. *de vit. Const. IV, 24: Vos intra ecclesiam, ego extra ecclesiam a Deo episcopus constitutus sum.* Improbant non solum distinctionem inter interna et externa, sed inprimis aegre ferunt, quod curam internorum a se abdicando, autonomiam ecclesiae concessit. Quantumuis insolens et

A 2 in-



inconsulta plerisque hodie videatur autonomiae concessio, certe a moribus Romanorum non abhorrebat; saepe enim illi populis, quos in potestatem ac fidem accipiebant, autonomiam beneficii loco indulgebant, adiciendo nonnunquam facultatem creandi proprios, qui ius dicerent, magistratus. Bello aduersus Perseum, vltimum Macedonum regem confecto, senatus liberos esse iubebat Macedonas, vtentes legibus suis, annuos creantes magistratus. L. I. v. XLV, 29. Nec sub libera tantum republ. ita obtinuit, verum adhuc sub principatu, imo plane post Antonini Caracallae constitutionem, qua in orbe Romano qui erant, ciues Rom. efficiebantur, multis populis et oppidis salua mansit illa suarum legum et auiti iuris concessa olim vel relicta libertas. Late et erudite haec persequitur SPANH. *Orb. Rom. Ex. II. c. 9. fgg.* Haec qui seculum perpendit, non magnopere mirabitur, Constantinum M. qui primus inter imperatores orbis Romani sacra Christianorum publice approbauerat, et fauoris sui documenta in ecclesiam existare cupiebat, quod solitum erat aliis indulgeri beneficium, etiam indulgisse ecclesiae Christianae, vt iure suarum legum gauderet, perinde ac antea confoederata vsa erat disciplina, et de iis quae ad Deum ex praeceptis Christi rite colendum facerent, ipsa statureret.

## §. II.

*Accessit audientia episcopalis.*

Quod ad autonomiam quandoque accessisse dixi beneficium, vt ea donatis liceret proprios creare magistratus qui ius dicerent, occasionem forte dedit potestati epi-

\* \* \*

episcopis factae, cognoscendi de litibus priuatorum ad se delatis, easque sententia sua terminandi, quae dicebatur *episcopalis audientia*. Auctor largitionis fuit Constantinus M. qui teste sozom. *H. E. L. I. c. 9.* litigantibus permisit, vt ad episcoporum iudicium prouocarent, si magistratus ciuiles reiicere vellent. Statuebat porro Arcadius in *L. 7. C. de episc. aud.* si qui ex consensu apud sacrae legis antistitem litigare voluerint, ne vetarentur, et similiter Honorius in *L. 8. C. eod.* episcopale iudicium ratum esse iubebat omnibus, qui se audiri a sacerdotibus elegerint. Apparet hinc vera indoles episcopalis audientiae. Non licebat episcopis litigantes vocare in iudicium, sed datum illis erat, vt tanquam arbitri federent, si qui apud ipsos litigare vellent. Rata esse iubebatur sententia ab episcopis prolata, sed executioni mandanda erat a magistratibus ciuilibus. Proinde audientia eorum non erat iurisdic-tio, quod recte obseruat *CUIAC. in parat. ad tit. C. cit.*

### §. III.

*Mutatio audientiae in iurisdictionem amplissimam.*

Non tamen se continebat audientia episcopalis intra cancellos praescriptos, sed paulatim adeo extendebatur, vt ecclesiastici fere omnes causas ciuiles ad iudicia sua traherent. Prima extensio dicenda foret, quae stabilita esse perhibetur per *Extrau. I. de episc. iudic. in append. Cod. Theod.* qua permittitur, vt etiam parte altera refragante ad episcopale iudicium recurrere liceat, sed legem illam esse supposititiam multis argumentis probat *IA C.*

GOTHOER. in *Comment.* Valde tamen ad palatum ecclesiasticorum fuisse praerensam hanc functionem, vel inde intelligitur, quod post alios collectores canonum eam quoque refert Gratianus *C. ii. qu. i. c. 35, 36*, monendo lectores: ne quis haec antiquata existimet, quia in Iustiniani codice non inueniuntur ita inserta, sciendum esse, per Carolum M. renouata esse in Capitularibus. Coniicere licet, episcopos non dubitasse obtentu audientiae etiam inuitos ad tribunal suum trahere, et vt iure id facere viderentur, impostorem quemdam legem commentitiam procudisse. Cum vero ex repetita quasi promulgatione huius legis in Capitularibus pateret, Carolum M. fauere iudiciis episcoporum, factum est inprimis in Gallia, vt per longas aetates vnum pene ac solum forum ecclesiasticum emereret, regia vero iurisdicchio marceret et vilesceret. *ESPEN. P. 3. tit. 1. c. 1.*

#### §. IV.

##### *Diuisio iudiciorum in ecclesiastica et secularia.*

Excitabat tandem laicos e somno restauratio iuris Iustinianei per Occidentem, per quam id lucis affulgebat, vt perspicerent ecclesiam inuolasse ius regis, et iurisdictionem ecclesiasticam praeter ius et fas ad causas seculares esse extensam. Notari digna est confoederatio illa Baronum Franciae, seculo XIII inita, qua mutua fide se obstrinxerunt, quod iurisdictionem secularem, quae tota pene absorpta erat a clericis, denuo sibi vindicare vellent, constitutis quatuor executoribus qui negotium hoc strenue et cum plena potestate contra clerum perseque-

querentur. Frustra tentabant clerici sistere impetum laicorum, renaces hi erant propositi, et auctoritate regia suffulti sensim perficiebant, vt totam pene iurisdictionem de causis ciuilibus laicorum ad tribunal seculare traherent. *ESPEN. l. c. cap. 2.* Sic tandem stabiliebatur distinctio inter iudicia ecclesiastica et seclularia. Iudicium ecclesiasticum est, quod coram iudice ecclesiastico, vel saltem contra personam ecclesiasticam, aut de causa ecclesiastica agitur. Seclulare est, quod coram iudice laico, inter personas seculares, de causa seclulari exercetur.

## §. V.

*Origo contentionis iuris ciuilibus et canonicis.*

Concertatio illa de iurisdictione et iudiciis tandem eo redibat, vtrum ecclesiasticis salua in posterum futura esset sua autonomia et independentia ab imperio; ciuili, an vero huic se subiectos agnoscere deberent, vrgebant, enim laici, potestatem iudiciariam esse ius regium. Domini legum, qui appellabantur, fascinati quasi splendore maiestatis principum Romanorum, ardebant cupiditate extollendi iura et maiestatem imperii ciuilibus, speciatim imperatorem salutabant mundi dominum, quia Antoninus in *L. 9. D. ad L. Rbod. de iact.* rescripserat: Ego quidem mundi dominus. Flos iuuentutis, qui vndique incredibili concursu ad scholas eorum confluxebat, iisdem principiis ab illis imbuebatur: Imperatores ipsi, magnum rebus suis praesidium in ICTorum peritia positum existimantes, eximie illis fauebant, eosque in causis grauissimis in consilium adhibebant. Plausus hic insolitus quo exci-



excipiebatur ius Romanum in lucem protractum, pungebatur clericorum animos, et progenerabat contentionem iuris canonici aduersus ius ciuile, impedituram ne totus Occidens repente fieret Romanus. Hoc vero vt conseruerentur, nihil consultius videbatur, quam vt et ipsi iura personis rebusque sacris a maioribus scripta publice docenda curarent, iudicia ecclesiastica forensibus assimilarent, causas quasdam, foro ciuili subtractas, ecclesiastico vindicarent, et placita iuris ciuilis, sicubi ab aequi et recti tramite defletere viderentur, in melius corrigerent. Haec et similia, quibus allaboratum est ne merum ius Romanum regnaret, aut iudicia ecclesiastica opprimeret, appellatione contentionis iuris ciuilis et canonici indigito.

## §. VI.

*Gratianus compilabat Bononiae Decretum iuri Iustiniano aemulum.*

Obtigerat vrbi Bononiae vt fieret quasi Berytus in Occidente, mater et nutrix legum Romanarum, habens auditoria legum, e quibus prodirent viri, regibus et principibus in administratione reipublicae a consiliis futuri, et populis ius reddituri. Curandum videbatur vt eadem Bononia fieret nutrix doctrinae canonum, et vt vtriusque iuris professio pari passu in ea ambularet. Ad fortunam hanc iuri ecclesiastico conciliandam, operam conferebat Gratianus, Ordinis S. Benedicti monachus, adornando nouam collectionem canonum, quam in ipsa luce Academiae Bononiensis e monasterio S. Felicis in luce

cem



cem emittebat. Constituebat Gratianus non solum hac ipsa euulgatione in metropoli legum facta, compilationem suam aemulam iuri Romano, sed in eam quoque curam incubuerat, ne perfectione aliqua iuri Iustiniano cedere videretur. Mirifice sibi placebat Iustinianus, quod Romanam sanctionem, intestinis praeliis vacillantem, in vnam consonantiam reducerat. Idem de canonum doctrina existimari volebat Gratianus, ideoque opus suum inscribebat: *Concordantiam discordantium canonum*. Præterea inseruiebat tempori, adhibendo methodum scholasticam, quæ quaestionibus in vtramque partem discutendis vacabat, et adiiciendo canonibus leges Imperatorias et iura Romana, quæ tunc erant in deliciis. Eam ob causam decretum Gratiani valde placuisse Doctoribus Bononiensibus, præcipue ICris, asserit ESPEN *Tract. Hist. Can. p. 6. c. 3. §. 2.* sed non facile ei assentientur, qui reputant non solum perpetuas aemulationes, sed inprimis furibundas dissensiones legistarum et decretistarum, de quorum sectis mox plura subiciam.

§. VII.

*Introducſtio decreti in ſcholas.*

Scopus primarius Gratiani fuit, vt ope collectionis suae studium canonum in scholas Bononienses introduceretur, et pars fieret scientiæ iuridicæ, qua studiosa iuuentus ibi imbueretur. Annotatum est in *Kalendario Archigymnasii Bononiensis*, Gratianum enixe petiisse ab Academia Bononiensi, studiis suis apud Eugenium III. Pontificem

tificem efficeret, vt Decretum *venia eius possēt publice legi et explicari*: existimauit itaque necesse esse, vt, quemadmodum Caesares iuris ciuilis, ita pontifices iuris ecclesiastici doctores tuerentur. Annuit pontifex petitis, dando Ao. MCLII. litteras ad doctores et scholares Bononiae commorantes, *per quas dabat suum placet super hoc, quod compilatio magistri Gratiani, superiori anno per eum huic lyceo oblata, et a dicto domino Archidiacono Romam missa, vt sana et canonica publice possēt legi et explicari.* vid. BOEHM. *Diss. prooem. ad Corp. Iur. Can.* Ex his diiudicanda est quaestio controuersa, vtrum decretum ab Eugenio III. sit approbatum? distinguendo inter approbationem doctrinalem et authenticam. Prior temere negaretur, authenticam vero auctoritatem tantum non omnes negant, quia nunquam prolata est sanctio, qua in vim legis confirmaretur; add. Ill. BOEHM. *Obs. Iur. Feud. I. §. 12.* Peditentim tamen, vsu et obseruantia forense authenticam auctoritatem decreto conciliatam esse, vix amplius dubitationem habet.

### §. VIII.

#### *Leges canonisatas et registratae.*

De legibus ciuilibus, quas Gratianum Decreto inferuisse dixi, porro notandum est, Canonistas non eandem omnibus tribuere auctoritatem: referre enim dicunt, vtrum lex in decreto relata valeat duntaxat tanquam lex, an vero valeat vt ius canonicum. Prioris generis leges dicunt *registratas*, posterioris *canonisatas*, quibus



quibus quia eandem cum canonibus auctoritatem tribuunt, inde concludunt, si lex canonisata ab imperatore, eam tamen iure canonico manere validam. Ad canonisationem legis requirunt, vt canoni reperiatur incorporata, et incorporatio tunc facta intelligitur, si lex posita est in medio vnius capituli. Vid. STRAVCH. *Amoenit. Iur. Can. Eclog. VI, c. 7.* ex cuius *Dissert. Iur. Can. I.* etiam peti potest catalogus legum canonisatarum. Nugae hae difficiles produnt ambitiosam contentionem Canonistarum, ius illud, quo res ecclesiae regerentur, euehendi supra ius ciuile et leges Imperatorias.

### §. IX.

#### *Seclae Legistarum et Decretistarum.*

Cooperant Imperatores Romani, ex quo tempore per reductionem iuris Iustiniani iura antiqua principum Romanorum rursus innotuerant, collapsam in Italia Imperatorum auctoritatem instaurare, et iura regni vindicare. Causam eorum strenue defendebant doctores iuris ciuilibus, rationes ita subducentes: qui in titulum et dignitatem Imperatorum Romanorum successissent, eorundem quoque iuribus, et aequali maiestate frui debere. In alia omnia ruebant, qui doctrinis decreti Gratiani eruditi, regale sacerdotium animis concipiebant, hi enim pontificem supremum legislatorem orbis Christiani constituebant, sacra et profana omnia potestati eius subiciebant, reges et principes nutibus pontificum obsequi iubebant, et si qui obtemperare nollent, eos imperio priuabant.



bant. Ex hac sententiarum et studiorum contrarietate, oriebantur sectae oppositae iura docentium, et appellationes sectariae Legistarum et Decretistarum, pro partium studio mutuis maledictis se proscindentium. Amplissimam pugnandi materiam praebebant factiones Guelphorum et Gibellinorum, occasione contentionum inter pontifices et Imperatores enatae. Guelphos, pontifici adiectos, inflammabant Decretistae: Gibellinos, iura Caesarum defendentes, confirmabant Legistae. Contentio haec per longam annorum seriem Italiam praecipue malis affligebat gravissimis.

## §. X.

*Novi iuris ecclesiastici disseminandi causa compilabantur  
decretales pontificum.*

Politia ecclesiae eam passa fuerat mutationem, quod, cum per VIII secula synodorum in ferendis iudiciis suprema fuisset auctoritas, paulatim episcopus Romanus caput atque apicem episcopatus se esse iactaret, synodorum iura conuelleret, et caussarum maiorum decisionem sibi vindicaret. Inde distinguitur inter ius ecclesiasticum vetus et nouum, seu canonicum et pontificium. Mutatio illa introducta est per epistolas decretales pontificum, quarum antiquissimae quidem quae venditantur, ab impostore quodam confictae, sed tamen inde a Burcardo Wormatiensi canonum collectionibus insertae, a pontificibus auide arreptae, et similibus decretalibus, ab ipsis emissis, auctae et confirmatae sunt. Gratianus in  
decretum.

decretum adhuc congefserat decreta conciliorum et dicta patrum, fed post eum nouum ius ecclefiafticum videbatur in praxin deducendum, ideoque fiebant collectiones decretalium. Numerantur quinque veteres collectiones decretalium, quarum prima ante annum 1191 iam fuit absoluta, quatuor reliquae breui annorum fpatio eam infecurae, fed per collectionem sextam antiquatae funt. Obferuatum eft, primae collectionis auctorem imitatum efle quoad materiae difpofitionem, ordinem librorum et titulorum codicis Iuftiniani, quod eo confilio feciffe merito exiftimatur, vt innueret, decretalibus pontificum aequalem auctoritatem ac constitutionibus Imperatorum efle tribuendam, ficque contentionem iuris canonici et ciuilibus teftatiorem faceret. Ordo femel introductus feruatus eft in collectionibus infecutis.

§. XI.

*Collectio Gregoriana infar fystematis adornata.*

Quinque collectiones Decretalium, quas factas efle dixi, ita concinnatae erant, vt ultra canones quorundam conciliorum tunc temporis celebratorum, vel decretales certorum pontificum vix progredierentur, minime vero generalem quandam iuris theoriam fuppeditarent. Ad difciplinam iuris fundandam opus erat fystemate quodam, in quod fummam congererentur decreta canonum et pontificum, quae in politia ecclefiae et praxi iudiciorum obferuanda efient, vt promptius de his erudirentur, quibus harum rerum notitia eflet neceffaria. Tale fystema iuffu Gregorii IX. Capellanus eius et poenitenti-

rentiarius, *Raymundus de pennaforte* ita conficiebat, vt retento ordine collectionum anteriorum, canones conciliorum, dicta patrum, potissimum vero decretales pontificum, in diuersa dispersas volumina, sub certis titulis disponeret, constitutiones quasdam, quae extra collectiones veteres vagabantur, illis adiceret, denique etiam varias constitutiones ipsius Gregorii IX, quas ille, e glossis iuris ciuillis desumptas, a nemine consultus emisit, infereret. Has vero non alio fine emissas esse a pontifice, quam ne necesse esset ad ius ciuile recurrere, eoque maior auctoritas iuri pontificio accresceret, iam alii monuerunt. Operi confecto epistolam confirmatoriam praemittebat pontifex, qua profiteretur, se collectionem hanc prouidisse faciendam ad communem, et maxime studentium vtilitatem, quod certo est indicio, scopum pontificis fuisse, vt collectio a se procurata haberetur instar systematicis iuris ecclesiastici et pontificii, ex quo saperent, qui horum iurium periti censerent. Res cecidit ex voto, decretales enim Gregorii IX eminent inter partes corporis iuris Canonici, et plerisque praebent docendi et discendi normam.

## §. XII.

*Modus publicandi decretales.*

Ius Iustinianicum pristinam auctoritatem et dignitatem in Italia recuperauerat per Academiam Bononiensem, et flos Europaeae iuuentutis, ius Romanum ibi edocta, et in patriam redux facta, magnam ei per Occidentem existi-

existimationem conciliauerat. Pontifices Romani, vsum iuris per decretales constituti, ad fora et iudicia orbis Christiani propagaturi, non alio modo rectius id fieri posse putabant, quam si collectiones decretalium mitterent ad doctores et scholares Bononiae commorantes, id quod forte etiam fecerunt ad exemplum Iustiniani, qui scripta ad antecessores epistola mandabat, quomodo corpore iuris a se edito in scholis vtendum esset. Specialiorem huius instituti pontificum rationem affert Ill. G. L. BOEHMER in *Obs. 1. Iur. Can. §. 1. sqq.* docendo, Innocentium II. ausum esse, factam a se decretalium collectionem instar legis vniuersalis promulgare: illa vero cum parui penderetur a principibus et optimatibus regnorum, successores eius, maiori prudentia vsos, prouide et circumspecte collectiones decretalium tantum ad academias et imprimis ad Bononiensem transmisisse. Primus id faciebat Innocentius III, auctor adornandae collectionis, quae tertia est inter veteres, et prima quae publica auctoritate munita prodiit, vt epistolis in ea contentis absque quolibet dubitationis serupulo vti liceret tam in iudiciis quam in scholis. Collectio autem Innocentii II vel ideo veici potuit, quod in dissidio electus, non ab omnibus legitimus habebatur pontifex. Collectionem quintam inscribat Honorius III Tancredo, Archidiacono Bononiensi, reliquae inscriptae leguntur doctoribus et scholaribus vniuersis Bononiae commorantibus.

Quibus praemissis, vt propositum meum, per hoc semestre hibernum inseruendi studiis *Generosissimorum ac Prae-*



*Praenobilissimorum Academiae Ciuum*, adhuc declarem, instituti postulat ratio. Explicabo autem Ill. GEORG. LVD. BOEHMERI *Principia iuris Canonici, speciatim iuris Ecclesiastici, publici et priuati*. Quandoquidem vero processus iudiciarius, ex constitutionibus pontificum in forum receptus, variisque ordinationibus prouincialibus plenius definitus, praeceptis et cautelis abundat, quae copiosam praebent commentandi materiam, librum quartum, quo *principia processus* traduntur, peculiari hora ita exponam, ut non solum processus Brunsvico-Lunenburgici, sed aliarum quoque ditionum rationem habeam. Interpretabor porro *Institutiones* iuris ciuilibus ductu elementorum HEINECCII, operamque dabo ut totius legis scientiae principia solide et perspicue intelligantur. Quibus et alias praelectiones pro desiderio Auditorum iungere paratus sum. *Vestrum* itaque est, *Commilitones suauissimi*, frequenti *Vestro* accessu voti me comptem facere mei. Scrib. Helmstadii d. xxix. Sept.

MDCCLXIX.






X 2396279







15

1769/14

5/11

DE  
CONTENTIONE  
IVRIS CIVILIS ET CANONICI


PROLVSI O I.

QVA

PRAELECTIONES  
PER SEMESTRE HIBERNVM  
MDCCLXIX.  
HABENDAS

INDICIT

D. CAROLVS ANTONIVS KEVFFEL



HELMSTADII

EXTYPOGRAPHEO ACADEMICO

VIDVAE SCHNORRIAE



19

